



1

25

26

26

27

28

29

30

31

32



1724.

- 25^a Loescher, Mart. Gotthelf: Dissertatio physica exhibens
25^b Cogitationes de anima humana sobrias.
26 Mencken, Gottp. Ludov.: De juribus civium Misniae et
Thuringiae acquirendis fendo equestria
27 Mencken, Gottp. Ludov.: De personis mandato d. 29. Dec.
A. 1718 et d. 21 Apr. A. 1724. candidatorum contrahere prohi-
bitis
28 Mencken, Gottp. Ludov.: Exercitatio in ang., qua non solum
seruitatem alius hominis contrahentes eademque occasione
de ratione aedificiorum Romanorum disertatur
29 Mencken, Gottp. Ludov.: De jure offerendi simul tunc et
instituentis
30 Mencken, Gottp. Ludov.: De usufructu mariti ad in-
pium reducti in bonis uxoris.
31 Mencken, Gottp. Ludov.: De mandato Caesareo regio
S. V. Wratislaviae d. 18 Mart. A. 1706. ultra fontem
S. V. communis ad alios ultimas voluntatum sub-
stitutiones in Silesia non extendend.
32 Michael, Carolus Fredericus: De exceptionibus illiquis

32 Neurcantz

Significationem exceptionum unum numerum pecuniarum

32 Conventionem deducendis.

33. Vater, Abraham: De ingenuitatem immutata ac diu
simulandi modis

34. Vater, Abraham: Immunitas inaus . . . , qua arcem
propterea armis clinicis expugnabilem esse
. . . demonstrabit.

35. Vater, Abraham: De senectutis praesidiis.

36. Wucher, Fr. Balthe: De jure haereditatis.


37. Wucher, Fr. Balthe: Immortales juridica, quae
modum donationes obagnationem liberorum
ex lege & Cod. de rege. donat. retractandi ad
illas largitionis patroni in libertatem easdem
pertinere . . . potius respondendo respondet.

38. Wucher, Fr. Balthe: De possessione hereditatis
sive bona fide et facto titulo plene invalida.
invalida.

39. Wucher, Fr. Balthe: De conventionem a principe
interim potestate subdelegandi.

40. Wunke, Fr. Buller: De obligatione ex parte futu-
 rorum specialiorum vulgo Fa. Wart.
41. Wunke, Fr. Frieser: Disputationes juridicae ad G. d. Fran-
 ni jurispr. Omn. Form. for . . . publice tabulas
 indicat easque occasione de characteribus indelictis et
 doctrinis, de efficacia hominum impiis ministeris,
 perperam ex illo de ducta dicitur. . .
42. Wunke, Johann Frieser: De licita et illicita
 usurarum exactione hujusque poenis.
43. Wunke, Johann Frieser: De acceptatione in
 donationibus necessariis.





1724
M 26
3
DE
JVRIBVS
CIVIVM MISNIAE
ET
THVRINGIAE
ACQVIRENDI
FEVDA EQVESTRIA

PRAESIDE

GODFR. LVDOV. MENCKEN

Jcto, Pand. Prof. Publ.

PRO

GRADV DOCTORALI
OBTINENDO

AD D. XXII. JUN. M DCC XXIV.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
DISPV TABIT

WOLFFG. ALBRECHT. BEHRISCH.
DRESD.

Advoc. Immatr.

WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.




DE
IURIS
CIVIVM MISIAE
ET
THVRINGIAE
ACQVIRENDI
RECVDA FOVETRIA
GODRIE LVDON. MENCHKEN
Jcto, Land. Prof. Publ.
PRO
GRADN DOCTORALII
OBTINENDO
ND B...
HONIS...
VOLFFGALBRECHT BHRISO
ADVOC. JURIS
K...
K...





DE
IVRIBVS CIVIVM
MISNIAE ET THVRINGIAE
ACQVIRENDI
FEVDA EQVESTRIA

§. I.



omunis Doctorem sententia est, non Nobiles tantum, sed ciues etiam, plebeios, imo et rusticos feuda acquirere posse, utique si de iure feudali communi siue Longobardico sit quaestio, quam sententiam adiuuat textus 2. f. 3. §. 1. uerbis: *feudum cuiuslibet dare potest*, item: *personam inuestituram accipientis non distinguimus*. Nimirum omnes possunt fieri Vasalli, qui non prohibentur lege, et natura non impediuntur, imo et illi, qui ad seruitia militaria praestanda non sunt habiles. Quamuis enim hi in feudis ad successionem non admittantur,

tur, nihil tamen impedit, quo minus Dominus ipfos in Vasallos recipere, atque feuda eis conferre, possit. uid. D. HORN in *Iurisprud. Feudal. cap. V. §. 26. Coccej. de eo, quod iustum est in materia feudali cap. 2. §. 17.*

§. II.

Ius Alemannicum feudale uidetur arcere ciues, et plebeios a feudorum possessione. Eos enim, qui non sunt ex equestri ordine, iure feudali carere, traditur I. A. F. *cap. 1. §. 4.* Sed, ut taceamus, uerba illa, *qui non sunt ex equestri ordine, von ritterlicher Arth / deesse* in textu germanico a SCHILTERO edito; id indubium est, non simpliciter Ciues eo iure pro incapacibus feudorum haberi; Siquidem additur in §. 5. Dominum posse huiusmodi personis conferre feudum, idque ab ipsis eo casu in liberos quoque transmitti. Und libet aber ein Herre däre einte ein Güt der hett also güt recht daran als der den sechstein herschilt füret / und fallent die Lehen an ir Rint. Addatur LEISER *d. Equit. Saxonie. Iuribus singularibus §. 9.*

§. III.

Ius Saxonicum feudale non rusticos modo, sed et omnes, qui non sunt equestris ordinis, adeoque Ciues etiam, ab acquisitione feudorum excludit: *Lehn-Recht cap. 2. alle / die nicht von Ritters Arth seyn / sollen des Lehns darben.* Crediderim tamen, hunc textum quoque, perinde ac Ius Alemannicum, non excludere limi-

limitationem, si Dominus extra ordinem Vasallum, qui non sit equestris ordinis, recipere uelit. Causa enim, cur excluderentur, qui non erant equestris ordinis, praecipua ea esse uidetur, quod ad seruitia militaria non idonei esse putarentur. Quare, si Dominus haec seruitia eis remittere uelit, nihil sane obstare poterit, quo minus ipsis feuda acquirere liceat.

§. IV.

Pertinuisse autem illam et Juris Alemannici et Saxonici dispositionem tantum ad feuda equestria, per se fatis constat. Dicuntur uero equestria, ex quibus seruitia equestria siue militaria praestantur. Cetera enim, quae Burgensia cognominantur, quo minus ciues obtinerent, Jus Saxonicum antiquum non obstat. Imo tantum abest, ut ab huiusmodi feudis eos excludat, ut diserte potius caueat, ipsis illa conferri posse, uid. *Jus Alemannic. feudal. cap. 151. Lehn-R. cap. 78.* Ex quo colligo, etiam ad feuda franca et cetera, ex quibus seruitia militaria non praestantur, illam prohibitionem non pertinuisse.

§. V.

Sed quaecumque demum textus illius sit sententia, dudum usu fori sublatum eum esse, passim *DD.* tradunt. *COLERVS P. I. Dec. 77.* iam tum obseruauit, ius hoc consuetudine esse correctum, idemque, post eum, docuit *CARPZOV. P. 3. C. 28. def. 5.* adeo, ut rusticos

quoque feuda equestria acquirere et possidere posse as-
 feuerent. HORN. *Jurispr. feud. cap. 5. §. 28.* COCCEI.
d. l. c. 2. §. 19. Utrum olim Jus Saxonicum feudale re-
 ceptum, ac quando immutatum fuerit, circa hoc caput
 non iuuat nunc dispicere, imprimis, cum, inanes con-
 iecturas dare nolim, certi quid uix liceat definire.
 Quae enim ALTESERR. *de origine et statu feudor. cap. 10.*
 affert, ad Galliam pertinent, atque ad Germanos no-
 stros et Saxones imprimis uix possunt referri. Videat-
 ur tamen LEISER *de iuribus praedior. Nobil. Sax. §. 4.*
 Iam olim Ciuibus in Germania ius fuisse acquirendi
 feuda ex LEHMANNO apparet, qui commemorat Ci-
 ues feudorum capaces *Chronico Spirensi L. 2. c. 19. et Lib. 5.*
cap. 112. Itaque hodie plerisque in locis Ciues ab eo-
 rum acquisitione non prohibentur. De feudis *Meclen-*
burgicis uideri potest *Petr. TORNOV. cap. 2. Sect. 2. §. 24.*
pag. 205. seq. Sed et in *Marchia Brandenburgensi* agricolas
 tantum et infimae fortis homines a feudis equestribus
 arcentur, Ciues reliqui et sine discrimine non aequae.
 LEISER. *loc. cit.* Sed, singularum Prouinciarum iura
 attingere, mei instituti non fert ratio.

§. VI.

Propositum enim mihi in praesenti est, de Iure Ci-
 uium *Misnensium* et *Thuringicorum* tantum dispicere,
 quibus ius possidendi et acquirendi feuda equestria du-
 dum peculiari sanctione confirmauit CAROLVS IV.
Anno 1350. Confirmauit, inquam, ualde enim dubito,
 an ante haec iure illo caruerint. Certe ipsae Tabulae
 con-

concessionis, quas et SCHILTERVS in *Comment. Iur. Alem. ad Rubric. §. 19. p. 17.* et PAVLLINI in *Annalibus Iſenacenſ. ad Ann. 1350.* exhibet, non obſcure oſtendunt, iam antea dubitatum fuiſſe, utrum hoc Ius Ciuibus compe-
tere poſſit, ut ex abundanti ueluti defectum, *quem poſ-
ſent habere, et quem pati aliquoſiter uideremur,* CAROLVS IV.
ſua autoritate ſuppleuiſſe, uideatur. Sed et iam antea
ſimiles fere literas LVDOLVICVS IV. Imperator Ciui-
bus ac Oppidanis in Prouincijs Friderici Marchionis
Miſeneniſis Anno 1329. dediſſe dicitur, quamuis eas in-
quirenti mihi inuenire non licuerit. Quas autem
CAROLVS IV. eiſdem conceſſit, integras hic exhibe-
bimus et ex SCHILTERO atque PAVLINO repetemus,
inprimis, cum in non paucis locis diſſerre editas ab
utroque copias, appareat, atque nobis propoſitum ſit
huius conceſſionis rationes paulo curatius expendere,
et perſcrutari, Ita uero illae:

EX EDITIONE
SCHILTERI.

Karolus Dei gratia
Romanorum Rex
ſemper Auguſtus et
Bohemiae Rex. Ad uni-
uerſorum S. R. Imperii
fidelium uolumus no-
titiam praefentibus per-
ueni-

EX EDITIONE
PAVLINI.

Carolus Dei gratia,
Romanorum Rex,
ſemper Auguſtus, et
Boemiae Rex ad uni-
uerſorum S. R. I. fide-
lium uolumus notiti-
am praefentibus per-
ueni-

uenire. Cum nos qui
supra legem sumus a)
et possumus uelut loco-
rum b) iura condere,
et interpretari, nonnul-
lisque constitutionibus et
consuetudinibus genera-
libus nobis notis obuian-
tes c) ualeamus rationa-
biliter immutare et aliud
statuere, condere, ac Dei
d) gratia indulgere.
 Quod ad instantiam
 supplicationem, et pe-
 titio-

uenire, etc. Quod ad
 instantiam supplicatio-
 nem et petitionem sup-
 plicem, Illustrium Fri-
 derici, Balthazar, Lu-
 douici et Wilhelmi,
 Thuringiae, Landgra-
 uiorum Misnensium O-
 rientalium et in Lan-
 disberg Marchionum,
 Comitum in Orlamun-
 de Dominorumque
 Terrae Plisnensis, A-
 uunculorum et Prin-
 cipum

a) haec, et quae sequuntur, omisit PAVLLINI, sed recte addi-
 dit SCHILTERVS, cum huiusmodi praeloquia stylo illius
 aevi et Imp. Carol. IV. apprime conueniant.

b) uelut locorum.) haec uerba non satis cohaerent, ac si con-
 iicere liceret, crederem Carol. IV. scripsisse, *uelut Llator*
(Legislator) ex quo qui descripsit, per errorem posuit *lo-*
corum.

c) haec quoque minus recte se habere uidentur, ut facile intel-
 ligas, mendam subesse, sed quam tollere emendatione non
 audemus.

d) Dei gratia:) Quid si legamus *de gratia* non Dei, sed hoc
 aliorum iudicio relinquimus.

tionem e) illustrium, Friderici, Balthazar, Ludwici et Wilhelmi Thuringiae, Landgrauiorum, Miffen, Orientalium, et in Landisberg Marchionum, Comitum in Orlamunde, Dominorum Terrae Plyffen, auunculorum et Principum Nostrorum Karissimorum uniuersis ciuibus et oppidanis per principatos f) terras et ciuitates suas, quas nunc possident uel possiderent g) in futurum *inhabitant*es h) hanc gratiam facimus specialem, quod ipsi bona *Feodal*ia

cipum carissimorum, uniuersis ciuibus et Oppidanis per Principatus, terras, et ciuitates suas, quas nunc possident, uel possidebunt in futurum *in haereditates*, hanc gratiam facimus specialem quod ipsi bona feodalicia, quae *Equitibus* proprie debentur, emere uel quouis alterius contractus titulo recuperare ualeant, habilitantes praefatos ciues et Oppidanos uniuersos ad quaelibet bona *feodalicia*, undecunque uel a quocunque descendencia, supplentes auctoritate

B

e) add. *Supplicem* ex PAVLLIN.

f) leg. *Principatus*,

g) *possiderent*, PAVLLINI *possidebunt*, forte legendum possederint.

h) *inhabitant*es PAVLLINI *in haereditates*, leg. *inhabitantibus*.

lia quae *Quiritibus*
 i) proprie debentur, emere uel quouis alterius contra-ctus titulo recuperare ualeant, abilitantes, praefectos ciues ac opidanos uniuersos ad quaelibet bona *feodalia*, undecunque uel a quocunque descendencia, supplentes auctoritate nostra per praesentes *in eis* k) omnem defectum, quem a iure uel a consuetudine possent habere, uel pati aequaliter uiderentur, sic quod eis ac eorum prouentibus libere gaudere possint, ut

tate nostra per praesentes *literas* omnem defectum, quem a iure uel a consuetudine possent habere, uel pati aequaliter uiderentur, sic quod eis, et eorum prouentibus libere gaudere possint, ut ea cum omnibus iuribus suis tanquam *Naturales Vassalli* ex nostra permissione praesentibus eis concessa et *gloriosius* indulta, queant possidere, lege, statuto, aut consuetudine proprie aequaliter obstante, quibus omnibus auctoritate et de plenitudine nostrae potestatis praesentes

i) scripserat, sine dubio Carolus IV. *Quiritibus*, ut non opus sit Paullini emendatione, qui *Equitibus* substituit. Equites enim Quirites dici, satis probavit SCHILTER *ad h.l.*
 k) Paullin. habet, *literas*, sed malim sequi SCHILTER *v.m.*

ut ea cum omnibus suis
iuribus, tanquam pri-
ores *Natales l)* ua-
falli ex nostra permis-
sione praesentibus eis
concessa et *gratiosius*
m) indulta *queantes n)*
abhinc in antea libera-
liter o) possidere, lege
statuto, aut consuetu-
dine *patriae p)* aliqua-
liter *non* obstante, qui-
bus omnibus autorita-
te et de plenitudine
nostrae potestatis prae-
sentibus penitus dero-
gamus, decernentes

eas omnino in antea quoad *hoc* abolitas mor-
tuas et extinctas. In cuius rei Testimonium,

B 2

sentibus penitus de-
rogamus, decernentes
eas omnino in antea
quoad abolitas mortu-
as et extinctas. In cu-
ius rei Testimonium
praesentes conscribi, et
Maiestatis nostrae Si-
gillo iussumus commu-
niri, Datum Budissin
anno Domini M CCC
L. *quingagesimo* Iu-
bilaeo, indictione ter-
tia, octavo Idus Febr.
Regnorum nostrorum
anno quarto.

prae-

- l)* natales) substituit Paullini *naturales*. Sed nihil mu-
to. Natales dicit Imperator Vasallos, quasi Vasallos natos.
m) ita recte, non *gloriosius*, ut Paullini.
n) lege *queant* cum Paullin.
o) haec omisit Paullini. In antea h. e. imposterum stylo illius aevi.
p) minus recte Paullini. *proprie*.

praesentes conscribi et Maiestatis nostrae Sigillo iussimus communiri. Datum Budissin Anno Domini M CCC L *q*) Iubilaeo Indict. III. VIII. Idus Febr. Regnorum nostrorum anno quarto.

§. VII.

Debent autem hoc priuilegium Dominis Territorii Ciues Misniae, ad quorum instantiam & petitionem Imperator Carolus hanc Ipsis gratiam se dicit concessisse. Quare nihil attinet dispicere, utrumne opus fuerit Illis priuilegio Imperiali, atque annon Ipsis Dominis Territorii licuerit iura prisca Saxonica & consuetudinem antiquam tollere ac immutare. Sane hodie nemo facile dixerit, in huiusmodi causis opus esse Imperiali autoritate. Sed CAROLI IV. temporibus obtinebat ea philosophia, iura atque consuetudines generales condere et interpretari ad Imperatoris pertinere reservata, ut adeo, dum plenissime cuperent prospicere suis Ciuibus Indulgentissimi Principes, ex re duxerint, Imperialem quoque consensum eis impetrare. Est ergo hoc Imperatorium Priuilegium, sed nihil impedit, quo minus etiam Principum Territorii beneficium esse dicamus, utputa, cum illi Ciuibus hoc obtinuerint, et, sine illorum gratia, Ciues id consequi non potuerint.

§. VIII.

q) errore typographi, puto, apud Paullinum repetitus est numerus *quinquagesimus*.

§. VIII.

Concessum uero hoc ius est Ciuibus, non Misniae tantum et Thuringiae, sed etiam Osterlandiae, Marchiae Landesbergensis, Comitatus Orlamindani et Terrae Plisnensis. Ad omnes enim hos principatus et terras, quin et ad omnes Ciuitates, quas eo tempore possidebant Marchiones Misniae, extendit Priuilegium suum CAROLVS IV. Fines priscos istarum prouinciarum iam non uacat inuestigare; uideri potest *de Osterlandia*, Adam. RECHENBERG peculiaris, quam de ea conscripsit, dissertatio. De ceteris Prouincijs Petr. ALBINVS Tit. IX. *der Meißnischen Chronick* p. 218. Id. in singulari libro *d. origin. Misn.* R. REINECCIUS in *Chronico Misnenf. Tit. 3. seq. Laur.* PECCENSTEIN *Theatrum Saxon.* P. 2. f. 33. De Orlamundiae Comitatu JUNCKERVS in *Geographia medii aevi* P. 2. C. 15. verb. *Orlamunde* p. 605. Pleraeque istae prouinciae cum Marchionatu Misniae et Landgrauiatu Thuringiae posthaec coaluerunt. Unde harum tantum prouinciarum in rubro Dissertationis mentionem feci. Caeterum ad illas quoque prouinciarum istarum partes, quas Principes Ernestinae lineae possident, hanc concessionem aequae pertinere, per se satis patet.

§. IX.

Imo nec ad has solas, quas commemorauimus, prouincias restringi potest, sed etiam ad illas extenditur,

B 3

quas

quas postea Marchiones Misniae acquisuerunt; quales sunt: Comitatus Principalis Dignitatis Hennebergicus, et ipse Saxoniae Electoratus, et reliquae, quae his accesserunt, ditiones. Id enim postulant uerba diplomatis *per principatus terras et ciuitates, quas nunc possident, uel possederint* (aut, ut *Paullinus* habet, uel *possidebunt*) in futurum. Sane, si in quibusdam prouinciis, ad quarum possessionem posthaec peruenerunt Marchiones Misniae, per conuentiones aut leges publicas aliud cautum sit, illis omnino standum erit, quale quid de feudis Marchionatus *Lusatiae Superioris* traditur, uide: IOHANN GEORG II. diuae memoriae, Rescriptum confirmatorium pactorum de emtoribus non nisi Nobilibus in Lusatia admittendis de anno 1666. uerbis: *Die Land = Pehn und Erb = Güther in Verkaufung und Versezung derselben allwege dem nächsten Wittbelehnten und andern Geschlechts und Wapens = Genossen/ oder da derselben nicht verhanden/ oder sich des Vorkaufs begeben/ andern ehrlichen Leuthen Herren Standes oder von Adeln angetragen/ und kein Landsaß/ ben Verlust des halben theils der Kauff = Summe/ iemanden anders, als einem viersehildigen Herren Stand oder von Adeln Ubralten Geschlechts und Herkommens zu verlassen/ zu versetzen/ oder quocunq̄ue titulo auf ihn zu transferiren/ besugt seyn soll/ uid. BEYERI Spec. Jur. Germ. c. 2. §. 54. LEYSER. de Jur. Singul. Equit. Sax. §. 9. et HOFFMANNI Scriptores rer. germanic. in primis ad Lusatiam et uicinas regiones spectantium Tom. 3. P. III. p. 28. seq. Quamuis eiusmodi etiam constitutiones strictius interpretandae sint, ne priuilegio Carolino nullus*

lus plane relinquatur locus. Inprimis, cum ipsorum Equitum interfit, uendendi licentiam non nimium restringi, & uiliori plerumque pretio uendantur praedia, quae non in quoscunque possessores transferri possunt.

§. X.

Non existimo tamen, rusticos hoc priuilegio frui posse, quandoquidem illi Ciuium numero non continentur. Priuilegium enim nostrum Ciuitatum, Ciuium ac Oppidanorum nominatim meminit, et de eis solis cauet, adeoque rustici ad illud prouocare nequeunt. Equidem CARPZOVIVS P. 2. C. 28. def. 7. et COCCIJ. de eo, quod iustum est, circa rusticos cap. 2. §. 19. hos quoque feudorum apud Saxones capaces esse, tradunt, idemque HORNIVS confirmat in *Jurispr. feud. cap. 5. §. 28.* Verum, hi, uel non loquuntur de feudis equestribus, sed de feudis tantum rusticis, uel, si de equestribus etiam feudis sentiant, non ex priuilegio hoc Carolino, sed, ex usu et consuetudine antiqua, rusticis hoc ius largiuntur, qualis consuetudo, si probari possit, seruanda omnino est. Ciues et Oppidani non opus habent, ut ad consuetudinem confugiant, cum Imperatorum et Principum tabulis satis se tueri possint.

§. XI.

§. XI.

Atque illae tabulae, quod iam inuimus, omnino de feudis equestribus siue nobilibus, ut a nonnullis dicuntur, agunt. Nam de feudis Burgensibus, de quibus uideatur ANTON. *Disp. 1. th. 6. lit. b.* SCHNEIDEW. *de feudis P. I. n. 34.* et de feudis, quae rustica dicuntur, de quibus COCCHEVS egit ex instituto, non opus erat privilegio cauere. Dicuntur autem feuda equestria, de quibus seruitia equestria praestantur, welche mit Ritter-Pferden verdienet werden; non equestria contra, quae illis oneribus non subiacent. De his nunquam dubitatum fuit, quin possideri a Ciuibus aut ab aliis, qui non sint equites, possint.

§. XII.

Nostrum Privilegium nominatim de feudis equestribus cauet, quae ita describuntur, quod proprie *Quiritibus* h. e. ut *Paullini* habet, *Equitibus* debentur. Neque tamen dubito, quin legendum sit *Quiritibus*, Equites enim Quirites uocari, et medii aevi scriptoribus hoc nomine uenire, docet SCHILTERVS *Comment. ad Rubr. Cod. Alem. feud. §. 20.* ut supra iam monitum.

§. XIII.

§. XIII.

Tribuit autem hoc priuilegium oppidanis et ciuibus non modo ius emendi, sed et *quouis alterius contractus titulo recuperandi feuda* eademque possidendi. Ubi *recuperandi* uocabulum pro acquisitione accipi, res ipsa atque ea, quae antecedunt et sequuntur, satis ostendunt; quamuis infrequens satis et minus usitata sit illa significatio. Neque enim constitutio haec Carolina ad ea tantum feuda pertinet, quae ciues olim iam possederant, ut recuperationi proprie sic dictae locus hic esse possit, sed nominatim potius porrigitur, ad quaelibet bona feudalia *undecunque et a quocunq̄ue descendencia*. Comprehendit ergo uox *recuperandi* hic tam onerosas, quam lucratiuas causas, imo etiam acquisitiones uniuersales, ita, ut quae semel a Ciuibus emta aut quocunq̄ue alio titulo quaesita fuerint feuda, ea etiam ad descendentes transmittantur, qua ratione sublatum dicendum *Ius Saxonicum feudale cap. II.* quod cauet, inuestituram Domini, de feudo equestri, iis, qui non sunt Equites, factam, id non efficere, ut ad haeredes feudum transeat: *Welcher Herr aber dieser einem ein Gut leihet / von dem haben sie wohl Lehn-Recht an diesem Guchte / sie erben es aber nicht an ihre Kinder.* Hoc enim ius antiquum plene sustulit Imperator per hanc gratiosius ciuibus indultam permissionem.

C

§. XIV.

§. XIV.

Quanta uero sollicitudine Imperator hoc egerit, ut ciuibus quam plenissime prospiceret, ex eo satis apparet, quod autoritate sua, in iis omnem defectum, quem a Iure uel a consuetudine possent habere, uel pati aliqualiter uiderentur, suppleuerit. Quo quidem loco obseruandum est per Jus et Consuetudinem, a qua defectum eos habere posse Imperator dicit, sine dubio Ius Saxonicum eundem intellexisse, cum id postea ius Patriae appellet. Quamuis tam dubie de huius Iuris autoritate sentiat, ut Ciues tantum defectum ex eo habere posse, uel aliqualiter pati uideri asserat. Sed et omnia *illa Iura, Statuta, Leges et Consuetudines plane quoad hoc abolitas mortuas ac extinctas declarat in antea i. e. in posterum, ita enim uocabulum hoc passim eo tempore accipiebatur, quod uel sola huius Imperatoris bulla, quae prae reliquis aurea dicitur, docet (uid. LUDWIG ad Aur. Bull. iii. IV. §. 1. p. 447.) iisdemque autoritate et plenitudine potestatis suae derogat. Atque hoc sibi ius etiam in principio huius priuilegii uindicat, et sibi, qui supra legem sit, tanquam Legislatori integrum esse, iura condere et interpretari et constitutiones ac consuetudines immutare declarat. Illo enim tempore credebatur et persuasum erat perlisque, legibus et consuetudinibus derogare solius esse Imperatoris, quia olim Iustiniani tempore solius Imperatoris fuerat, cuius iura eo tempore in Germaniae fora pro-*

proferre Jcti allaborabant. Atque poterant forte etiam ipsi Marchiones Misniae his consuetudinibus ac Legibus per se derogare, sed maluerunt Imperatoris beneficio uti, ut certiores clementiae suae fructus Ciuibus suis praestarent, qui hoc, quicquid iuris est, illorum intercessioni debent.

§. XV.

Porro ad quaelibet bona feodalia undecunque et a quocunque descendencia Imperator beneficium hoc extendit, adeo, ut, quaecunque feuda nobiles possidere possunt, ea etiam ciuium possessioni cedere queant. Adeoque etiam Banniae, Dynastiae. cum nihil obstet, quo minus a nobilibus eae acquirantur. Consentit D. HORN. *Jurispr. Feud. cap. V. §. 28. p. 136.* Neque tantum prouentibus feudorum libere possunt gaudere, sed et omnibus iuribus illorum, perinde ac Vasalli nobiles illis, fruuntur.

§. XVI.

Quid ergo? an et ipsam nobilitatem cum possessione praedii nobilis in Ciues transferri dicamus? Ita forte dixerit aliquis, et ita sentient sine dubio illi, qui feudum nobile ei, cui confertur, nobilitatem tribuere existimant. Enimuero nostra sententia frustra asseri-



tur, feudum equestre possessorem nobilitare, uid. MAURIT. *Decad. II. lib. 2. ROSENTHAL. de feudis C. II. Concl. 2. n. 9.* Hodie certe nobilitas non quaeritur per possessionem feudi, si uel maxime concedas, Longobardico iure feudum nobile dici, quod nobilitatem tribuat *a. II. f. 10.* imo et iure Saxonico Communi feudali non tribuisse uidetur, adde *Lehn: R. C. XXI.* et *STRUV. in Synragm. Iur. feud. C. III. §. 8. n. 2.* Nobilitas nimirum iure sanguinis censetur atque personis inhaeret, adeoque una cum praedio non transit uid. *HORN. Iurisprud. feud. C. III. §. 19. seqq.*

§. XVII.

Transfeunt tamen in Ciues una cum feudis equestribus iura praediorum nobilium, de quibus ex instituto peculiari dissertatione egit *Iustus Helmstadiensis* celeberrimus *AUGUSTINVS LEISERVS.* Praestant igitur seruitia equestria. Neque enim Ciues a militaribus seruitiis amplius arcentur, ut taceam hodie plerumque pecuniam certam, seruitiorum equestrium loco solui. Ex quo sequitur etiam, immunitatem a metatis eos habere, nec tributa et contributiones, quas uocant, praestare. Scilicet si uere sint feuda equestria. Siquidem hic non possessoris, sed fundi, ratio habetur. Nam dari etiam feuda, quae a communibus oneribus non uacant, *befchockte steuerbare Lehen* / fatis constat, uid. *HORN. cap. IV, §. 29.* quae, si Nobilis etiam possideat, a praestatione

tionem illorum onerum non liberatur. Satis enim est
 Ciuibus, eos hic pari cum nobilibus iure frui, et nec
 feudum equestre tributis subiici, si ciuis id possideat;
 nec id, cui illa onera inhaerent, ab illis liberari, si ad
 Nobilem perueniat.

§. XVIII.

De iure comparendi in Comitibus Prouincialibus du-
 dum disceptatum fuit, utrum ciuibus praediorum
 equestrium possessoribus illud competat, an ab iis recte
 excludantur? Sane negari nequit, ius hoc Sessionis et
 Suffragii non nobilitati personali, sed praedio, inhaerere;
 cum nobiles, qui praedia non possident, ad comitia
 haud uocentur; uocentur contra ea etiam, qui non sunt
 nobiles, si praedia equestria possideant. Nam quod
 nonnulli uolunt, ius hoc comparendi in Comitibus mi-
 xti esse generis, ut nec personae competat, nec fundo
 cohaereat, sed et possessionem praedii et qualitatem
 personae requirat, id quidem petere uidetur, quod est
 in principio. Quare D. HORNIVS *Jurisprud. feud. C. III.*
 §. 21. non dubitat inter iura feudo cohaerentia, etiam
 ius Sessionem occupandi in Comitibus et Suffragium fe-
 rendi, referre. Atque id Misnensibus et Thuringiae
 Ciuibus, qui feuda possident, multo magis competere
 debebat, cum privilegio CAROLINO id illis datum fit,
 ut tanquam Vasalli Nobiles cum omnibus iuribus feu-
 da liberaliter possidere possint; Inprimis cum alibi



possessores praediorum sine discrimine admitti, idem testetur HORN. *Jurispr. Public. c. 62. §. 3.* In Saxonia tamen ad consultationes in Prouincialibus comitiis non admitti, nisi qui sedecim Maiorum imagines ostendere (die XVI. *Ähnen beweisen*) possit, tradit D. BEYER. *Specim. Jur. Germ. L. 1. c. 9. §. 18.* adeo, ut etiam novos homines h. e. qui nouiter ipsi, uel quorum parentes nobilitatem adepti sint, a iure suffragandi excludat, uid. HORN. *Jurispr. feud. d. cap. III. §. 21.* qui, utrum id iure fiat, in dubio maluit relinquere, quam definire, quamuis *Idem* alibi doceat, eos, qui maioribus officiis, togatis uel sagatis, excellent, ab his conuentibus minus arceri. *Jur. publ. prud. C. LXIII. §. 3.* add. LEISER *de iure praed. nobil. §. 60.*

§. XIX.

Cetera iura praediorum nobilium nihil attinet commemorare. Quis dubitet enim, etiam Ciues eorum possessores, perinde ac nobiles, posse, uti operis subditorum, sibi poscere excubias praestandas et seruitia caetera consueta? quis ius uenandi eis neget, si fundo cohaereat, ex Principis concessione aut immemorialis temporis usu? Jus etiam coquendi cereuisiam in usum domesticum nominatim ipsis tribuunt Resolutiones Grauaminum *de Anno 1661. Tit. von Justitiens Sachen §. 121. 122.* Ut de iure Patronatus, Jurisdictione et reliquis nihil dicam. Sed et ius constituendi Dotalitium ciuibus

bus, equeſtria feuda poſidentibus, ſine dubio competit, cum, in feudo ruſtico etiam ei locum eſſe, probet **COCCEIVS** *Differt. de eo, quod iuſtum eſt, circa ruſticos in materia feudali cap. 3. §. 26.*

§. XX.

Sane, quae plane perſonalia ſunt privilegia nobilium iura, hunc in numerum non veniunt, adeoque Civis feudi poſſeſſores ea ſibi vindicare nequeunt; quo pertinet, Jus Nuptiarum, ſacra, et baptiſmi ſolennia, in aedibus privatis celebrandi. Hoc enim nobilibus quidem ut et iis, qui nobilium privilegiis utuntur (denen hochgraduirten Perſonen) ex Ordinatione Politica d. A. 1661. Tit. 16. et 17. competit, non autem quibusvis feudorum poſſeſſoribus. Sed et ius omiſſa proclamatione eccleſiaſtica nuptias contrahendi, huiusmodi perſonis, etiamſi praedia equeſtria poſſideant, negat **LYSERVS** *de Juribus Singul. Equit. Sax. §. 24.* Quamvis neſciam, an id Nobilibus etiam recte aſſeratur, cum ſane nulla, quod ſciam, lege publica a neceſſitate proclamationis publicae exempti ſint.

§. XXI.

Sed ad literas **CAROLI IV.** redeo, quas *Maeſtatis Sigillo*

gillo ille curavit muniendas. Dicitur autem Maie-
 statis Sigillum non modo id, quod maius est, sed et
 quod Maieftaticum, quo Diplomata maioris momenti
 signari solent, quae, eam ob causam, *Majestats Brieffe*
 appellantur. Ceterum etiam Principes Imperii et Ele-
 ctiores ac Duces inprimis Saxoniae Maieftatis sigillum
 saepius usurpasse, *HORNIVS Jurisprud. Feud. c. XXII. §. 6.*
 et *MVLLERVS im Reichs-Lags-Theatr. P. IV. c. 32. p. 190.*
 aliique dudum obseruarunt. Datae sunt hae literae
 Budissenae anno Domini MCCCC Jubilaeo: non *quin-*
quagesimo Iubilaeo, ut *Paulini* habet, sed anno post mil-
 lesimum trecentessimum quinquagesimo, qui Iubilaeus
 dicitur, quandoquidem Pontifex Romanus Clemens
 VI. alterum Iubilaeum hoc anno edixerat, atque in-
 posterum quinquagesimo quouis anno Iubilaeum cele-
 brari debere constituerat, uid. *Cap. 2. Extrauog. Comm. d.*
poenitent. add. WILDVOGEL de Iure Seculi Cap. V. §. 3.
 Idemque annus est quartus Regnorum Caroli IV. Re-
 gni scilicet Romani et Bohemici. Vtrumque enim au-
 spicatus est Ann. MCCC XLVII.

§. XXII.

Quod uero SCHILTERVS tradit, mutatum hoc ius
 esse, neque amplius in Electoratu Saxoniae feu-
 da equestria Ciuibus conferri posse, *Comment. ad Rubric.*
Iur. Alem. feud. §. 18. id minus recte se habere, iam ob-
 seruaui. *LEISERVS de iur. praedior. Nobil. §. 5.* Ne-
 que

que etiam Recessus, ad quem prouocat d. 17. April. 1666. Ciues a iure possidendi (a) feuda equeſtria exclu- dit. Docent potius leges Saxonicae, Ciuibus hoc ius ſaluū eſſe, dum ſaepius in illis poſſeſſores feudorum equeſtrium ab equitibus diſtinguuntur, uid. *Ref. Grau. d. A. 1661. Tit. von Juſticien: Sachen §. 106.* Atque quem- admodum Ciues Miſniae et Thuringiae priuilegium hoc Imperiale gratiae Dominorum Territorii potiſſi- mum debent, ita etiam Clementiam Illorum ueneran- tur, qui Jus hoc a Maioribus ſuis ſumma prouidentia et cura impetratum ſubditis ſuis, iisdemque ciuibus, et- iamnum indulgentiſſime conſeruarunt.

§. XXIII.

Poſſunt ergo ciues feuda acquirere et poſſidere; Sed an etiam dare? Certe, non uideo, quid obſtet, ſi communem Feudiſtarum doctrinam ſequamur, quae

D ius

a) Verba illius Recessus ita ſe habent: Wollen Uns darneben dahin erkläret haben/ daß mit denen Expe- ctantien an Lehngüter behutsam und Unſern Lehnbefugniß gemäß mit abſonderlicher Beobachtung des Rit- terſtandes verfahren werden ſolle.

ius dandi feuda omnibus concedit, qui alienandi liberam habent potestatem. Imo, et Rusticos feuda dare posse, Cocceivs *d. Dissert. c. 2. §. 2. et §. 7.* contendit, et exemplo etiam, quod mireris, §. 8. probat; add. HORN. *Jurispr. feud. cap. V. §. 28.* De subinfeudandi potestate nemo, puto, dubitat, cum, eam quibusuis Vassallis integram esse, plerique concedant. Neque tantum Ciuem Ciuem subinfeudare aut de feudo inuestire, sed etiam Nobili feudum conferre posse arbitror. Nam *quotidie fere uidemus, nobiles etiam non designari feuda accipere a non-nobilibus,* scribit idem D. HORNIVS *d. §. 28.*

§. XXIV.

Videamus nunc, an et nobiles feuda Burgensia possidere possint, aut etiam rustica, *gemeine Bürger- oder Bauer-Lehn?* Affirmat hoc SCHILTERVS *Commentario ad Jus Alemann. feud. ad rubric. §. 18. p. 17.* Ubi et recte addit, nobilem, possidentem feudum ignobile, propterea nobilitatem non amittere, quamuis onera, perinde atque alii possessores, praestare teneatur. In quibus tamen locis lege publica praedia rustica non nisi in rusticos transferri possunt, nobiles ad possessionem etiam feudorum rusticorum uix admittentur. *conf. Mandat. Electoral. d. A. MDC XXIII. d. 25. April.*

§. XXV.

§. XXV.

Ceterum quod ius ciuibus Thuringiae ac Misniae Carolus IV. concessit, idem alii etiam Principes subditis suis tribuerunt. Suidnicensibus ciuibus Vladislaus, Vngariae et Bohemiae Rex, Ann. MDIV huiusmodi priuilegium concessit. Vid. WERNERI *Disser.* de *Jure Ciuum Suidnicensium emendi feuda.* Neque dubium est, alios similia priuilegia obtinuisse, quamuis uix opus esse eis uideatur, cum ne legibus quidem communibus ciues a feudis arceantur, et iura, quae eos excludunt, dudum contrario usu obruta et antiquata sint. Sed de aliorum locorum iuribus mihi non est constitutum, amplius dispicere. Itaque hic desino, et quae plura de argumento, uberiore sane expositione digno, addi poterant, cum alia negotia iam plura addere non permittant, alii occasione seruo.

T A N T V M.





Unicus est terræ Dominus, Deus ipse Creator,
Agrorum varius; Dat cuicumque cupit.
Agri divisi; Quos fulcat, protegit alter;
Feudum hujus dicunt, quod sibi poscit
Eques;

Non equidem immerito; Verum, si forte favente
Ad cives veniunt, desinat opprobrium.

Commentata legas, placitumque videbis Avorum:
Arma & consilium juncta juvant patriam.

Dissertationem filii inauguralem comitatur Pa-
ter hoc Epigrammate, cum voto ut exau-
ditæ sint preces, quas fundit pro salute ipsi-
us & cæterorum liberorum, qui nati &
nascuntur ab illis.

Hieronymus Gottfried Behrisch.





Non equidem immerito; Verum si forte
Ad eum veniant, bellum optinent
Commentariis leges, phidippique
Arta & confidit tanta parant

Die resor em illi inuentione condita
ter hoc Engimmine, em-
das hoc proce, que fandi
us & conetone, libetone, qu
eacem ad illa

Hieronymus Giffius



Wittenberg, Bss., 1724 L-2

ULB Halle 3
005 359 872



Sb

1078





1724
N 26
3
Bij
2. B.

DE
JVRIBVS
CIVIVM MISNIAE
ET
THVRINGIAE
ACQVIRENDI
FEVDA EQVESTRIA

IDE
G V. MENCKEN
Prof. Publ.
O
DOCTORALI
ENDO
M DCC XXIV.
MERIDIEM CONSVETIS
TABIT
W CHT. BEHRISCH.
SD.
mmatr.
VIDVAE GERDESIAE.

